Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31624

Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

solitae pietatis divina virtus ostenderet. Tunc oratione completa
presbiter ita cadaver viri beatus allocutus est. In nomine domini nostri Iesu Christi sancte
presbiter Silvine loquere cum fratribus tuis. Ille subito oculos defunctus
aperuit. Vir autem presentibus hoc dei tacere pro gaudio persuasit. Et
denuo ad eum. Vis inquit rogamus dominum, ut te adhuc servis
suis in hac vita condonare dignetur? At ille ait: Per dominum te
coniuro ne hic diutius tenear, et fraudet me quiete perpetua, in qua
me esse iam cernebam. Statimque reddita oratione quievit exanimis.
Hoc autem factum ita sancti Severini adiuratione celatum est, ut ante
mortem eius non potuisset agnosci. Ego tamen hec que retuli, Marci
subdiaconi et Mauritii ianitoris relatione cognovi. Nam presbiter
et diaconus tanti testes miraculi, ante obitum sancti viri cui
iuraverant nulli se que viderant prodituros obisse noscuntur.
Talibus igitur beatus Severinus per Christi gratiam opulentus muneribus captivorum
egenorumque tantam curam ingenita sibi pietate susceperat, ut pe-
ne omnes per universa oppida vel castella pauperes ipsius industria
pascerentur. Quibus tam leta sollicitudine ministrabat, ut tunc se
crederet tantummodo saturari vel abundare omnibus bonis, quando videbat
egentium corpora sustentari. Et cum ipse ebdomadarum continuatis ieiuni-
is minime frangeretur, tamen esurie miserorum se credebat afflictum.
Cuius largitionem tam piam in pauperes plurimi contemplantes, quam-
vis ex duro barbarorum imperio famis angustias sustinerent,
devotissime tamen frugum suarum decimas pauperibus impendebant.
Quod mandatum licet cunctis ex lege notissimum sit, tamen quasi ex ore
angeli presentis audirent, grata devotione servabant. Frigus quoque
vir dei tamen in nuditate pauperum sentiebat; sic quippe specialiter
hoc a deo perceperat donum, ut in frigidissima regione mira-
bili abstinentia castigatus fortis et alacer permaneret. Pro deci-
mis autem ut diximus dandis quibus pauperes alerentur, Noricos quoque pro-
missis exhortabatur epistolis. Ex qua consuetudine cum ad eum non nulli ero-
gandarum vestium copiam direxisset, interrogavit eos qui venerant
si ex oppido quoque Tyburnie similis collatio mitteretur. Responden-
tibus etiam inde protinus affuturos. Vir dei nequaquam eos venire signavit. Sed di-
latam eorum oblationem predixit barbaris offerendam. Itaque non mul-
to post cives Tyburnie vario cum obsidentibus Gothis certami-
ne dimicantes, vix initia federis pactione inter cetera et largi-
tionem iam munium collatam quam mittere famulo dei distulerant, hostibus
obtulerunt. Cives quoque ex oppido Lauriaco crebra quamdam sancti Seve-
rini exhortatione commoniti, frugum decimas pauperibus dis-
tulerant. Quibus fame constrictis iam maturitate messium flavescen-
te vicina subsidia monstrabantur. Aut vero rubiginis impulsa
corruptio frugibus nociva comparuit, mox ad ipsum convenere pro-
strati, penas sue contumacie confitentes. Quos autem Christi confessos verbis
spiritalibus alleviabat dicens: Si decimas obtulissetis pauperibus,
non solum eterna mercede frueremini, verum etiam commodis possetis ha-
bundare presentibus. Sed quia culpam confessione propria castigatis, de divi-
na pietate polliceor, quod rubigo presens tam valida penitus non nocebit.
tamen fides vestra ulterius non vacillet. Verum cives ad persolvendas deci-
mas hec promissio reddidit promptiores. Tunc ut solebat hortatus
est indicere ieiunium. Quo expleto, placidus ymber desperatarum messium
amputavit incommoda. Batavis appellatur oppidum, inter
utraque flumina enim videlicet atque Danubium constitutum. Ubi beatus
Severinus cellulam paucis monachis solito more fundaverat,
eo quod ipse illuc sepius rogatus a civibus adveniret, maxime propter
Alamannorum incursus assiduos, quorum rex Gibold summa
eum reverentia diligebat. Qui etiam ad eum videndum quodam tempore deside-
rans occurrit. Cui sanctus obviam ne adventu suo eandem civita-
tem pergravaret egressus est, tantaque constantia regem est allocutus,
ut tremere coram eo vehementius cepit. Secedensque suis exercitibus
indicavit, numquam se non rebellica non aliqua formidine tanto fu-
isse tremore concussum. Cumque dei famulo daret optionem impan-
di quod vellet, rogavit doctor piissimus ut sibi potius prestaturus
gentem suam a romana vastatione cohiberet, et captivos quos
iam tenuerat gratanter absolveret. Tunc rex constituit ut ex suis aliquem
dirigeret, a quo id opus maturius exequendum. Statimque missus Amantius
diaconus e vestigio regem subsequitur. Eique pro foribus excubans mul-
tis diebus non potuit nuntiari pre qua directus fuerat. Non pacto
XXX die tristissimo revertenti, apparuit quedam effigies sancti presentis
Severini, quem cum minaci compellatione per tritum sequi se iussit.
Cumque pavens ac concitus sequeretur, pervenit ad ianuam regis. Statimque
dux ille prius ex oculis mirantis evanuit. Verum regis interim
nuncius diaconum unde esset vel quid speraret interrogat. Ille rem breviter
insinuans, oblatas regi receptisque remeavit epistolis. Dimissos
igitur reversus fere LXX captivos, insuper promissionem regis gratam
deferens, quia spoponderat se diligenter cum provincia pagravit
remissurum quantus in eadem repertus fuisset numerus captivorum. Post quem
pari modo sanctus Lucillus presbiter destinatur, magnam miserorum copiam
a captivitate revocavit. Per idem tempus quo romanum constabat imperium,
multorum milites oppidorum pro custodia limitis publicis stipen-
diis sublevabantur. Qua consuetudine desinente, simul militares
res turme sunt delete cum limite, Batavino utcumque numero
perdurante. Ex quo perrexerant quidam ad Italiam, extremum stipendium
commilitonibus allaturi. Quos sunt interemptos a barbaris, nullus agno-
verat. Quadam igitur die dum in sua cellula legeret sanctus Severinus,
subito clauso codice cum magno cepit lacrimari suspirio. Ad-
stantes iuvenes ad fluvium properanter iussit excurrere, quem in illa ho-
ra humano firmabat cruore respergi. Statimque nuntiatum est
corpora prefatorum militum fluminis impetu ad terram fuisse dela-
ta. Paulinus quidam ad sanctum Severinum fama eius excurrente pervenerat.
Hic in consortio beati viri diebus aliquod remoratus, cum redire vellet, au-
divit ab eo: Festina venerabilis presbiter, quia scito dilectionem tuam
populorum desideriis ut credimus obluctantem dignitas episcopatus orna-
bit. Mox remeante ad patriam, sermo me predicentis impletus est.
Nam cives Tyburnie, que est metropolis Norici, coegerunt predictum virum sum-
mi sacerdotii suscipere principatum. Basilice extra muros oppidi
Batabini in loco nomine Boiotro trans Enum fluvium constitute, ubi
cellulam paucis monachis ipse construxerat, martirum reliquie quere-
bantur. Ingerentibus igitur se presbiteris ut mitterent ad sanctuaria defen-
da, hec beatus Severinus monita preferebat. Quamvis cuncta morta-
lium opere constructa pereant, hec tamen edificia precetis celerri-
me relinquenda sunt, et ideo pro reliquiis sanctorum nullum laborem debere
suscipere, quia veniret eis sancti Iohannis benedictio deferretur. Interea beatum